

Franckesche Stiftungen zu Halle

Salomonis, Regum hominumque, peccati labe laborantium, sapientissimi, Proverbia & Ecclesiastes

Breithaupt, Joachim Just

Magdeburgi, 1717

VD18 11104074

Carmen Secundum. In Festum Paschatos.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216270

CARMEN SECUNDUM. IN FESTUM PASCHATOS.

Urget praesentia CHRISTI!

Postquam DOMINUS resurrexit à morte, discipulos visibili praesentiâ, per quadraginta dies, in fide stabilivit: promissiq³, post ascensionem se manere apud fideles suos ad consummationem mundi usque; ut ipsos praesentiâ invisibili excitet in eâdem fide, omniq³ officio ac periculo.

Tertia^a lux praesto est. Pharisei^a, cernite templum,
Destructum à vobis; quod jam, de funere surgens,
Custodes pavidos splendoris fulgure sternit^b.
Nec mora, nec requies: fugiunt imbellia corda,
Militemq^{ue} novam stupefactâ mente relinquunt
Sacratis animis: quibus una atque altera pollens
Foemina, victrices auresq^{ue} & lumina pascit^c.
Præcipitante illi cursu, ceu fulmine adacti,

Tt 2

Cædis

PARALLELISMUS CARMINIS II.

- (a) Matth. XXVII, 40, 41. 63, 64. GERHARDUS, Harmon. Evang. c. CCVII. Pontifices sepulchrum custodiri à militibus, jusserant, usque in diem tertium. Voluit ergò Christus, militibus adhuc sepulchro assidentibus & custodientibus, resurgere: si enim illis digressis post diem tertium resurrexisset, potuissent Judæi aliquid dicere & contradicere, licet insipienter. AUGUSTINUS, epist. ad Januarium c. III. Quia, in toto tempore seculi, nunc tertium tempus apparuit; idè resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem; secundum, sub lege; tertium, sub gratiâ: ubi jam manifestatio est sacramenti, prius occulti in Prophetico enigmate, (b) Matth. XXVIII, 4. (c) ibid. v. 5, 6, 7.

Cædis ad autores properant; quæ tanta stuporis
 Caussa sit insoliti, pandentes ordine iusto^d.
 Ecce autem! injusto Seniores^e agmine luci
 Obstantes, famam nummorum mole premebant^e.

Huic sceleri res sacra subest: agnoscite, *Cives*!
 Personat *Eusebie* Divinis vatibus orbem,
 Nuncia venturæ vitæ: quam sanguine partam
 Ipse suo Cœli Dominus mortalibus offert.

Viderat iste, hominum genus alto vulnere pridem
 Confectum, nullis ægro de fonte medelis

Sa-

(d) *ib. v. 11.* (e) *ib. v. 12.* De his & similibus **HIERONYMUS**, in *Jonam* c. 11, 9. *Deus naturâ misericors est, & paratus, ut salvet clementiâ, quos non potest salvare iustitiâ: nos autem vitio nostro paratam misericordiam, & ultrò se offerentem, perdimus & relinquimus. Et non dixit; qui faciunt vanitates: Vanitas quippe vanitatum, & omnia vanitas! ne damnare videretur universos, & cuncto generi humano misericordiam denegaret: sed; qui custodiunt vanitates, sive mendacium, qui transierunt in affectum cordis; qui non solum faciunt, sed ita custodiunt vanitates, quasi diligant, & thesaurum invenisse se putent. Simulq; cerne magnanimitatem Propheta: in profundo maris, in ventre tantæ bestie, aternâ nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de naturâ rerum, generuli sententiâ, philosophatur. Misericordiam, inquit, suam derelinquent. Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum; misericors enim & miserator Dominus, patiens, & multa miserationis: tamen eos, qui custodiunt vanitates, non relinquit, non detestatur; sed expectat, ut redeant: illi verò stantem misericordiam, & ultrò se offerentem, sponte propriâ derelinquunt. Potest hoc & ex personâ Domini de Judeorum perfidiâ prophetari; qui, dum se æstimant præcepta hominum, & Phariseorum mandata servare, quæ vanitas, atque mendacium sunt, Deum, qui semper eorum misertus fuerat, reliquerunt.*

Sanari *f*: sua nunc promissa æterna reposci
 Tempore completo^g, terrasque sitire cruorem,
 Foetum infiniti pretioso ponderis igne.
 Ergò eat in carnem Verbum *h*! Pater optimus infit.
 Ibat: & humano sistens se corpore, vivos
 Spargebat latices. æquâ qui sorte fugabant
 Criminaque & morbos, nec non & numina lævaⁱ.

Jamque assurgebant Solymorum moenia Regi
 Sponte suo^k. contrâ, invidiâ^l rumpuntur acerbâ
 Viscera primorum populi: mox vincula capto
 Injiciuntur; amans ab amatis^m cæditur, horret
 Verberibus; spinis laceratur, & ora tremenda
 Sputo infestanturⁿ. laniatus corpore toto^o,
 Ducitur extra urbem, lignoque affigitur atro:
 Hostibus exorat veniam^p, & clamoribus almis
 Vitam ultrò emittit^q. Tremere omnia visa repente.
 Sol faciem occultat, tenebris involvitur orbis:
 Scindunt se scopuli, & latè monumenta dehiscunt^r.
 Militibus duris coit in præcordia sanguis
 Frigidus: adstantes, tremefacti, pectora pulsan,

T t 3

Atque

- (f) *Pf. XLIX, 8, 9. Act. IV, 12.* (g) *Gal. IV, 4.* (h) *Rom. VIII, 3. Job. I, 14.*
 (i) *Act. X, 38.* (k) *Matth. XXI, 5.* (l) *Matth. XXVII, 10.* (m) *Zach.*
XIII, 6. (n) *Matth. XXVII, 29, 30. Esa. L, 6.* (o) *Pf. XXII, 17, 18.* (p) *Es.*
LI, 12. Luc. XXIII, 34. (q) *ib. v, 46.* (r) *Luc. XXIII, 44, 45. Matth.*
XXVII, 52.

Atque retrò abscedunt^s. Sanctam nec longiùs iram
 Centurio, adversus sævæ convicia gentis,
 Continuit, magnâ proclamans voce: Profectò,
 Hic vir, hic illa Dei proles: hinc omina tanta !
 Qualia custodes recolebant, quando resurgens
 Emicuit DOMINUS: propiores fortè saluti,
 Auri sacra fames nisi eos temerâsset iniquo
 Fœdere^u, & exemplum Procerum; qui oracula
 dudum

Sancta Prophetarum furiis factisque replebant^x.

Sic canit *Eusebie*, pacis cœlestia dona
 Insinuans animis; mortem qui & vulnera Christi
 Intra se tentent aptare affectibus inis,
 Corruptasque necare vias, & semina pravæ
 Indolis^v, ac, merfi his tenebris, nova lumina Christi
 Concipere^z assuescant. Nec defunt, munere cœli
 Oblatus quos tangat honos; dum mente recurfant

An-

(s) *Luc. XXIII, 48.* (t) *ib. v. 47. Marc. XV, 39. Matth. XXVII, 54.* (u) *Matth. XXVIII, 13, 14, 15.* AUGUSTINUS, *serm. 5. de Pass. Dom. in Parasce.* Mali erant custodes, qui veritatem absconderunt, & mendacium vendiderunt. Non tamen mirum: quia cæcis vendiderunt, vanis vanitatem. Si dormiebant; unde scire potuerunt, quis eum tulerit de sepulchro? Si vigilabant, cur auferri permiserunt? O mali! o pessimi! Aut vigilabatis; & custodire debuistis? aut dormiebatis; & quid si nescitis? (x) *Act. XIII, 27.* (y) *1. Petr. IV, 1, 2.* (z) *Rom. VIII, 2. 2. Cor. IV, 6.*

Angores vitiorum, & laudis præmia veræ,
 Proposita in Christo ^a. Sed, depravata Cupido,
 Quæ rapuit cœcos Scribarum ad culmina quondam,
 Argentoque obstruxit ^b; adhuc sua retia tendit
 Incautis, ut ne, placidâ contenta quiete,
 Corda æternorum teneantur amore bonorum ^c.
 Qualiter ille, malis procero & corpore magnus
 Saul, Amalechis opes, quas perdere summus Jöva
 Jusserat, astervans; servanda refregit inani
 Jussa metu, & regni est folio delapsus & astris ^d.

Relligioni ergò CHRISTUS succurrit, & ipse
 Officium præconis obit; victorque, solutis
 Mortis compedibus, vivos prorumpit in actus ^e.
 Obvia ei primùm, fatis turbata stupendis,
 Magdala fit ^f: notâ cui mox in luce refulgens,
 Apparet; mirisque modis solatus, amicam
 Fratribus attonitis mittit ^g: quasque Angelus ardens
 Miserat, occurfu pariter dignatur amœno ^h.

Ad-

- (a) Act. XVII, 31. (b) Matth. XXVIII, 15. (c) Act. V, 2. VIII, 20. Joh. V, 44. (d) 1. Sam. XV, 23, 24. (e) Act. I, 3. (f) Marc. XVI, 9. (g) Joh. XXII, 17, 18. AUGUST. serm. 144. de tempore. *Benigna dispensatio Domini nostri JESU CHRISTI egit, ut primus illum sexus femineus resurrexisse nuntiaret. Quia per sexum femineum cecidit homo, per sexum femineum reparatus est homo. Quia ergò Virgo CHRISTUM pepererat, & femina resurrexisse nuntiabat. Per feminam mors, per feminam vita.* (h) Matth. XXVIII, 8. -- 11.

Adfuit hinc Petro, mœsto ob delicta, Simoni.
 Scilicet, haud tumido Pilato gaudia portans,
 Aut diro Caiphæ frustrâ, Herodive superbo;
 Sed miseris, divina quibus stat gratia solis.^k

Intereâ Solymis non omnem abscondere visum
 Inferni domitor voluit; sua cernere quanquam
 Ora merebantur nulli, quos noverat hostes
 Indomitos: at enim, sunt ipsi exercitus ingens,
 Quos secum ex tumulis sanctos produxerat; omnes
 Corporibus letho ereptis, fulgoribus omnes
 Præstantes. his ille viros, his testibus ædes
 Invisens varias, de spe præsentem monebat^l.

Deinde bonus dominus sese monstravit amatum
 Discipulis, & quos pietas adjunxerat istis.
 Vos etiam geminos, qui tunc, Emaunta petentes,
 Multa super Christo disceptabatis, amore
 Tristitiâque graves, Solymorum visit in arvis;
 Et carpens, docuit, mulcensque errore benigno^m:
 Et, sua sacra ferens, patuit deus inter edendumⁿ.
 Uno eodemque die, media intra septa suorum,
 Improvisus adest sub noctem^o, & nuncia pacis

Inge-

(i) Luc. XXIV, 34. (k) 1. Petr. V, 5. Esa. LVII, 15. (l) Matth. XXVII,
 52, 53. (m) Marc. XVI, 12. (n) Luc. XXIV, 31. (o) Luc. XXIV, 36.

Ingeminat: vanos secludit sæpe timores
 Cordibus incassum dubiis; palmasque pedesque
 Ostendens, comedensque cibum *p*, læta omnia
 reddit *q*.

Absens tum fuerat Thomas, incredulus ille:
 Cui veneranda Fides pleno ut se numine posset
 Tradere; mox rediit, trepidum miseratus amantem *r*.

Restabant prædicta, procul Galilæa quòd ipsum
 Conspectura esset *s*. Quò cum venêre sodales
 Undeni *t*, nec non idem quos ardor agebat;
 Illorum septem *u* repetunt, sine pluribus, artem
 Olim consuetam, captandis piscibus unà
 Plenam absumentes noctem: sed, cuncta volentes,
 Accepêre nihil. Primo cum lumine CHRISTUS
 Adveniens; dextram, clamat de littore, dextram
 Mille sequi: ac, DOMINUS successu cognitus amplo,
 Ætheriis flammis ipsorum instaurat amorem *x*.

Denique ad indictum confluxerat excita montem *y*
 Plurima gens, Fidei sacris unita, fidelem
 In Galilæorum terris junctura coronam;
 Aspectumque DEI sperantes. Incidit hora,

Uu

Ex-

(p) *ib.* & *Marc. XVI, 14. Act. X, 41.* (q) *Job. XX, 27.* (r) *Job. XX, 24. &c.*
 (s) *Matth. XXVI, 32. XXVIII, 7. 10. Marc. XIV, 28. XVI, 7.* (t) *Matth.*
XXVIII, 16. (u) *Job. XXI, 2.* (x) *Job. XXI, 15.* (y) *Matth. XXVIII, 16.*

Exoptata diu: CHRISTI, datur, ora tueri,
 Quingentis miranda viris ^z. qui poplite flexo ^a
 Excipiunt JESUM, dictisque potentibus haustis,
 Scandere in astra vident; seque ad majora reservant.

Nam nec finis erat tot visis. quippe seorsum
 Exhibuit vultum Jacobo ^b: extremaque tandem
 Solvit Apostolicis ^c, aliisque sodalibus, alto
 Montis olivarum stans vertice ^d; cominus ipsos
 Huc postquam è Solymis, antiquo tramite, complens
 Quadraginta dies ^e, deduxerat ^f. Optimus illic
 Quas sociis vires, quæ non solatia firma
 Impositis spondet manibus felicibus ^g auctor!
 Tandem ait: ecce! adsum vobis, maneoque per omnes
 Temporis articulos; donec post sæcla revertor ^g.
 Atque ita scandentem ad superos, in nube coruscâ ^h,
 Suspiciunt: duo cum talem, super astra receptum,
 Cœlicolæ celebrant redituum tempore certo ⁱ.

Nec non ex illo, vigilans ad singula, Paulus

Sæ-

(2) 1. Cor. XV, 6. (a) Matth. XXVIII, 17. (b) 1. Cor. XV, 7. (c) 1. Cor. XV, 7. (d) Luc. XXIV, 50. Act. I, 6, 12. (e) Act. I, 3. (f) Luc. XXIV, 50. Act. I, 12. (g) Luc. XXIV, 51. (g) Matth. XXVIII, 20. CHRYSOStOMUS & THEOPHYLACTUS, in h. l. Non solum Apostolis hoc est pollicitus, quod cum ipsis sit; sed, simpliciter discipulis suis omnibus: neque enim Apostoli ad finem mundi victuri erant. Unde & nobis, & his, qui post nos erunt, promissit. Conf. Joh. XVII, 20. (h) Marc. XVI, 19. Luc. XXIV, 51. Act. I, 9. (i) Act. I, 9, 10, 11.